

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*Ph.D. Level Medieval Latin Examination*

6 September 2002

\*\*\*\*\*  
Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.  
\*\*\*\*\*

1. **Just another out-of-body experience: Boniface, Epistula X [The Vision of the Monk of Much Wenlock]**

Praeterea referebat illo in temporis spatio, quo extra corpus fuit, tam magnam animarum migrantium de corpore multitudinem illuc, ubi ipse fuit, convenisse, quam totius humani generis in terris non fuisse antea existimaret. Innumerabilem quoque malignorum spirituum turbam nec non et clarissimum chorum supernorum angelorum adfuisse narravit. Et maximam inter se miserrimos spiritus et sanctos angelos de animabus egredientibus de corpore disputationem habuisse, demones accusando et peccatorum pondus gravando, angelos vero relevando et excussando. Et se ipsum audisse omnia flagitiorum suorum propria peccamina, quae fecit a iuventute sua et ad confitendum aut neglexit aut oblivioni tradidit vel ad peccatum pertinere omnino nesciebat, ipsius propria voce contra illum clamitasse et eum dirissimae accusasse et specialiter unumquodque vitium quasi ex sua persona in medium se obtulisse dicendo quoddam: 'Ego sum cupiditas tua, qua inlicita frequentissime et contraria preceptis Dei concupisti'; quoddam vero: 'Ego sum vana gloria, qua te apud homines iactanter exaltasti'; aliud: 'Ego sum otiosum verbum, quod inaniter locutus fuisti'; aliud: 'Ego visus, quo videndo inlicita peccasti'; et cetera his similia.

Completa igitur carnis dispensatione, vita venerabilis et nomine Ghisnensis comes Balduinus mortem pertulit temporalem, et in spem vite eterne in ea quam fundavit ecclesia cum christianissima uxore sua Adela, quam nuncupative Christianam appellatam diximus, non sine planctu nobilium virorum et monachorum simul et universe plebis terre, cum duobus etiam filiis suis Widone et Hugone, Andrie sepultus est. Robertus itaque, filius eius, qui invalescente usu, sicuti iam diximus, nuncupative quoque dictus est Manasses, ei successit et Ghisnensis terre populum regere suscepit. Qui tanto digne memorandi patris virtutibus fervencius efferbuit, quanto magnanimitas eius insignia, hinc et hinc rutilante fama, in auribus frequencius accepit. Et licet quandoque temporalium curis immersus fuisse memoratur, spiritualium tamen non immemor misteriorum, loco et tempore mundanas exuens curas, suave sonantis ecclesie misteria propensius patulo capescebat auditu. Et quos pium patrem suum in vita sua honorasse cognoverat, ipse quoque non dissimili affectu et studio honorare satagebat.

### 3. Fulbert of Chartres: my life in song

Te de pauperibus natum suscepit alendum  
Christus, et immeritum sic enutrivit et auxit,  
Ut collata tibi miretur munera mundus;  
Nam puero faciles providit adesse magistros,  
Et iuvenem perduxit ad hoc, ut episcopus esses.  
Reges, pontifices, populi te magnificabant,  
Servum censes prudentem satque fidelem  
Esse pii Domini, sed (proh dolor!) ipse, nefande,  
Prudens nec fidus fueras, ut res manifestat;  
Nam contra memorare pudet quam nequiter ipsum  
Laesis et sanctos eius tua prava tuentes;  
Quae vix ulla satis possunt tormenta piare.  
Praestolatur adhuc Dominus tamen ille benignus  
Et te vivere perpetitur, si forte resciscens  
Segnitiam zelo perimas meritoque reatum.  
Virtus est Domino parendi firma voluntas,  
Virtus est medium retinendi accepta voluntas.

#### 4. Karl Strecker on the career of Hrotsvit of Gandersheim

Hrotsvit poetria quando lucem adspexerit quamquam a nullo memoriae proditum est, tamen ex eis, quae ipsa de se praedicat, eam a. 935 fere natam esse probabiliter conicitur. Obisse videtur haud ita multo post a. 973. Puellula nobili genere Saxonico oriunda quippe quam cum ... abbatissa coenobii Gandeshemensis cognatione iunctam fuisse pro certo habendum sit, cum in gremium sanctimonialium Gandeshensium recepta esset, initio disciplina usa est Riccardis aliarumque magistrarum. Postea Gerberg filia Henrici ducis Baioariorum, quam a doctis s. Emmerammi patribus Ratisbonensibus litteris eruditam esse suspicari licet, cum in coenobium Saxonicum transmigrasset, optime de Hrotsvitha est merita; nam cum sua doctrina, etsi minor erat natu, huius ingenium nondum satis excultum perpolivit, tum abbatissae sedem sortita quibuscunque rebus poterat studia eius adiuvit. In quo illud non minimi faciendum est, quod aliquot auctorum libros illic ad id tempus ignotos cum ea communicavisse videtur. Eorum igitur librorum quos vel in ipsius coenobii copiis invenerat vel Gerbergae beneficio acceperat, assidua lectione postquam animum ad humanitatem informavit puella, qua erat ingenii facultate, ad scribendi studium se contulit atque versibus pangendis operam dare coepit.